



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum iustitia in rebus creatis dependeat ex simplici ei voluntate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

git ex ordine sue sapientie. Secundum autem quod disponit aliquas res sic vel sic fieri, adaptat eis causas illi modo, quem disponit. Quem tamen modo dum posset rebus inducere etiam illis causis non medianibus. Et sic non dicimus, quod aliqui diuinorum effectuum sint contingentes solummodo propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem diuine uoluntatis, que talem ordinem rebus prouidit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ratio illa sequitur in causis agentibus de necessitate nature, & quantum ad effectus immediatos: sed in causis uoluntariis non sequitur: quia ex uoluntate sequitur aliquid eo modo, quo uoluntas disponit, & non eo modo quo uoluntas habet esse, sicut accidit in causis naturalibus in quibus attenditur assimilatio quantum ad eandem conditionem cause, & causati, cum tamen in causis uoluntariis attendatur assimilatio secundum quod in effectu impletur uoluntas agentis, ut dictum est. nec etiam in causis naturalibus sequitur quantum ad effectus mediatos.

AD II. Dicendum, quod quamuis Deus possit remouere omne impedimentum cause secundę cum uoluerit, non tamen semper remouere uult. Et sic remanet contingentia in causa secunda, & p consequens in effectu.

AD III. dicendum, quod quamuis non esse effectus diuine uoluntatis, non possit simul stare cum diuina uoluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum diuina uoluntate, non enim sunt ista incompossibilia, Deus uult istud saluari, & iste potest damnari: sed ista sunt in eo possibilia, Deus uult istud saluari, & iste damnatur.

Etiam similiter dicendum est ad quartum, de effectu cause medię.

ARTICVLVS VI.

Vtrum iustitia in rebus creatis ex simplici diuina uoluntate dependeat.

2. p. q. 51. ar. 2. ad 3.

In prelogo c. 11. in de.

11. de Synodis per sex pag. a prin. libri.

SEXTO queritur, utrum iustitia in rebus creatis dependeat ex simplici diuina uoluntate. Et uidetur quod sic. Anselmum dicit in Monologion. Id solum iustum est, quod uis. ergo iustitia dependet solum ex Dei uoluntate.

¶ 2. Præt. Secundum hoc aliquid est iustum quod concordat legi, sed lex non uult esse aliud quam explicatio uoluntatis principis: quia quod principi placet, legis habet uigorē ut dicit Legislator. cum igitur princeps rerum omnium sit diuina uoluntas, uidetur quod ex ipsa sola dependeat omnis ratio iustitię.

¶ 3. Præt. Iustitia politica que est in rebus humanis, exemplatur a iustitia naturali, que consistit in hoc, quod qualibet res suam implet naturam: sed una que que res participat ordinem suę nature propter diuinam uoluntatem. dicitur. Hilarius in libr. de Symbolo, quod omnibus creaturis essentiam, Dei uoluntas attulit, ergo omnis iustitia dependet solummodo ex Dei uoluntate.

¶ 4. Præt. Iustitia cum sit reductio quardam, dependet ex imitatione alienius regulę, regulę autem effectus est debita causa eius, cum igitur potissima omnium rerum causa sit diuina uoluntas, ut quod ipsa sit prima regulę ex qua unum quodque iustum iudicetur.

¶ 5. Præt. Uoluntas Dei non potest esse nisi iusta; si ergo ex aliquo alio dependeret ratio iustitię quam ex diuina uoluntate, illud transgrediret, & quodammodo ligaret diuinam uoluntatē, quod est impossibile.

¶ 6. Præt. Omnis uoluntas que est iusta aliqua alia ratione quam seipsa ita se habet, quod eius ratio debet queri: sed uoluntas Dei causa querenda non est, ut

August. dicit in lib. 83. Quæstio. ergo ex nullo alio dependet ratio iustitię nisi ex diuina uoluntate.

SED CONTRA, Opera iustitię ab operibus misericordię distinguuntur; sed opera diuina misericordię dependent ab eius uoluntate ergo aliquid aliud exigitur ad rationem iustitię, quam sola Dei uoluntas. ¶ 2. Præt. Secundum Anselmum in li. de Veritate, iustitia est reductio uoluntatis: sed reductio uoluntatis est aliud a uoluntate, in nobis quidem secundum rem, cum uoluntas nostra possit esse recta & non recta, in Deo autem saltem ratione siue secundum modum intelligendi. ergo ratio iustitię non dependet solum ex diuina uoluntate.

RESPON. Dicendum, quod cum iustitia reductio quardam sit, ut dicit Anselm. uel ad rationem sicut Philosopho oportet quod ex hoc primo dependeat ratio iustitię, ubi primo inuenitur ratio regulę, secundum quam æqualitas & reductio iustitię constituitur in rebus. Uoluntas autem non habet rationem primę regulę, sed est regulę recta: diriguntur per rationem & intellectum non solum in nobis, sed in Deo, quamuis in nobis sit aliud intellectus, & uoluntas secundum rem, & per hoc nec ideo est uoluntas & reductio uoluntatis. In Deo autem est idem secundum rem intellectus, & uoluntas, & propter hoc est idem reductio uoluntatis & ipsa uoluntas. Et ideo primum ex quo pedit ratio omnis iustitię, est sapientia diuini intellectus, que res constituit in debita proportione, & ad seipsum & ad suam causam. In qua quidem proportione ratio iustitię creatę consistit; dicere autem quod ex simplici uoluntate dependeat iustitia est accedere, quod diuina uoluntas non procedat. Secundo ordinem sapientię, quod est blasphemum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod nihil potest esse iustum nisi uoluntate a Deo, tamen id quod est uoluntate a Deo habet primam causam iustitię ex ordine sapientię diuine.

AD II. dicendum, quod uoluntas principis debet habere uim legis in cogendo ex hoc ipso quod uoluntas est, non tamen habet rationem iustitię, nisi ex hoc quod utitur ratione.

AD III. dicendum, quod Deus operatur in rebus naturalibus dupliciter: primo instituitur ipsas naturas: secundo prouidens unicuique rei id quod competit sue nature. Et quia ratio iustitię debet requiri, ideo cum ipsas creaturas instituit, prima operatio non habet rationem iustitię: sed dependet ex simplici uoluntate diuina, nisi forte dicatur iustitię rationem habere propter ordinem ipsius rei factę ad uoluntatem, debitum enim est fieri id quod Deus uult, ex hoc ipso quod Deus illud uult: sed ad hunc ordinem implendum sapientia dirigunt, quasi prima regulę. Sed in secunda operatione inuenitur ratio debiti non ex parte agentis, cum Deus nulli sit debitor, sed ex parte recipientis: debitum enim est unicuique rei naturali, ut habeat ea, que exigit sua naturam in essentialibus, quę in accidentalibus. hoc autem debitum ex diuina sapientia dependet, in quantum scilicet res naturalis debet esse talis quod imitetur propriam ideam que est in mente diuina. Et per hunc modum inuenitur ipsa diuina sapientia, prima regulę iustitię naturalis. In omnibus autem diuinis operationibus quibus Deus creaturę aliquid supra debitum nature impendit, utpote in muneribus gratiarum, idem modus iustitię inuenitur qui in prima operatione est assignatus, quia naturas instituit.

AD III. Dicendum, quod voluntas diuina secundum modum intelligendi praesupponit sapientiam, quae primo habet regulam rationem.

AD V. Dicendum, quod cum in Deo intellectus & voluntas non differant secundum rem, voluntas per hoc quod ab intellectu dirigitur & ad aliquid definitur, non ab aliquo alio restringitur, sed mouetur secundum suam naturam, cui naturale sit illi voluntati, ut semper secundum ordinem sapientiae agat.

AD VI. Dicendum, quod voluntatis diuinae ex parte uolentis non potest esse aliqua causa quae sit aliud ab ipsa voluntate existens ei ratione uolendi: nam voluntas sapientiae & bonitatis secundum rem sunt idem in Deo: sed ex parte uolenti diuinae voluntas habet aliquam rationem, quae scilicet est ratio uolenti non uolentis, secundum quod ipsum uoluntatem ordinatur ex debito uel ex cogitatio ad aliquid. Qui quidem ordo ad diuinam sapientiam pertinet, unde ipsa est prima radix iustitiae.

ARTICVLVS VII.

Utram uoluntatem nostram diuine teneamur conformare uoluntati.

Septimo queritur, utrum teneamur uoluntatem nostram conformare uoluntati diuinae. Et uel quod non. Nullus enim tenetur ad impossibile: sed impossibile est nobis nostram uoluntatem conformare diuinae, cum diuina uoluntas sit nobis ignota, ergo non tenemur ad conformitatem predictam.

¶ 1 Prae. Quicumque non facit hoc ad quod tenetur, peccat. si ergo tenemur ad conformandam uoluntatem nostram diuinam, non conformando ipsam peccamus: sed quicumque peccat mortaliter, in hoc, in quo peccat, non conformat suam uoluntatem diuinae. ergo ex hoc ipso peccat: peccat autem aliquo alio speciali peccato, utpote quod furatur, uel fornicatur. ergo quicumque peccat, duo peccata committit, quod uidetur esse absurdum, sed diceretur quod praecipuum de conformitate uoluntatis nostrae ad diuinam, cum sit affirmatiuum quamuis semper obliget, non tamen obligat ad semper, & sic non oportet quod quandoque non conformat, peccet.

¶ 3 Sed contra, Quamuis aliquis non seruans praecipuum affirmatiuum non peccet in quolibet instanti, quo non seruat: peccat tamen quicumque contrarium agit: sicut peccat aliquis quicumque inhonorat parentes, licet non semper peccat, quoniam non actu honorat: sed ille qui peccat mortaliter, agit contrarium conformitati praedictae, ergo ex hoc ipso peccat.

¶ 4 Prae. Quicumque non seruat hoc ad quod tenetur, est transgressor: sed ille qui peccat uenialiter, non conformat uoluntatem suam uoluntati diuinae, si ergo ad conformandum tenetur, erit transgressor, & ita peccabit mortaliter. Sed diceretur, quod non tenetur pro illo instanti conformare, quo uenialiter peccat: quia praecipua affirmatiua non obligant ad semper.

¶ 5 Sed contra, Quicumque non seruat praecipuum affirmatiuum loco & tempore pro quo obligat, transgressor iudicatur: sed tempus conformandi uoluntatem nostram uoluntati diuinae non uel potest aliud determinare, nisi hoc quando uoluntas exit in actum, ergo quicumque uoluntas in actu exit, nisi conformetur diuinae uoluntati, uel esse peccatum, & ita quando aliquis uenialiter peccat, uidetur esse peccatum mortale.

¶ 6 Prae. Nullus ad impossibile tenetur: sed obstinatus non potest suam uoluntatem conformare diuinae. ergo ad hanc conformitatem non tenetur, ita nec alii alias ob-

stinati de sua obstinatione commodum reportarent.

¶ 7 Prae. Cum Deus quicquid uult ex charitate uelut, ipse, non est charitas, si tenemur nostram uoluntatem conformare diuinae, tenemur charitatem habere; sed non habens charitatem non potest eam consequi, nisi ad eam se praeparat diligenter, ergo non habens charitatem tenetur se continue ad habendam charitatem preparare, & ita in quolibet instanti, quo non habet charitatem, peccat, cum hoc ex defectu preparationis proueniat.

¶ 8 Prae. Cum forma actus praecipue in modo agendi consistat, si ad conformitatem diuinae uoluntatis tenemur, oportet ut eodem modo aliquid uelimus quo Deus uult; modum autem diuinae uoluntatis potest aliquis aliquo modo imitari, & dilectione naturali, & dilectione gratuita, non autem potest secundum dilectionem naturalem attendi conformitatem de qua loquimur; quia hoc modo conformant uoluntatem suam diuinam infideles, & peccatores, dum in eis naturalis dilectio boni uiget: similiter non potest attendi quantum ad dilectionem gratuitam, quae est charitas. Sic enim teneremur uelle quicquid uolumus ex charitate, quod est contra opinionem multorum, qui dicunt quod modus non cadit in praecipuum. ergo uidetur quod non teneamur ad conformandam nostram uoluntatem diuinam.

¶ 9 Prae. Quantum distat Deus ab homine, tanto uoluntas Dei ab hominis uoluntate, ut dicit glossa super illud ps. 32. Rectos decet collaudatio, sed Deus tamen distat ab homine quod homo non potest ei conformari, cum non homo a Deo in infinitum distet, nulla potest esse ipsius ad Deum proportio, ergo nec uoluntas hominis diuinae uoluntati conformari poterit.

¶ 10 Prae. Illa dicuntur esse conformia, quae in aliqua una forma conueniunt. Si ergo uoluntas nostra diuinae conformari potest, oportet quod sit aliqua una forma in qua utraq; uoluntas conueniat, & sic esset aliquid simplicius diuinae uoluntate quod est impossibile.

¶ 11 Prae. Conformatio est relatio aequiparantiae, sed in talibus relationibus, utrumque extremorum ad alterum refertur eadem relatione, sicut de amico amico amicus, & frater fratri frater. si ergo uoluntas nostra potest conformari diuinae, ut sic ad conformitatem praedictam teneamur, & uoluntas diuinae nostra poterit conformari, quod uidetur inconueniens.

¶ 12 Prae. Illa cadunt in praecipuum, & ad ea tenemur, quae possumus facere, & non facere; sed non possumus facere, quin nostram uoluntatem conformemus diuinae: quia sicut dicit Auicenna, sicut quod est intra corpus sphericum quo magis ab una parte circumstantiae se elongat, eo magis ad alteram appropinquat, ita quod ex una parte a Dei uoluntate distat, ex alia parte diuinam uoluntatem implet, ergo non tenemur ad conformitatem praedictam, sicut tenemur ad ea quae cadunt sub praecipuum.

SED CONTRA est, quod super illud ps. 32. Rectos decet collaudatio, dicit glossa. recti sunt qui dirigunt cor suum secundum uoluntatem Dei: sed quilibet tenetur esse rectus, ergo quilibet tenetur ad conformitatem praedictam.

¶ 2 Prae. Vnumquodque debet suae regulae conformari: sed uoluntas diuinae nostrae uoluntatis est regula, cum in Deo primo rectitudo uoluntatis inueniatur, ergo uoluntas nostra debet diuinae uoluntati conformari.

RESPON. Dicendum, quod quilibet tenetur suam uoluntatem conformare diuinae. Cuius ratio ex hoc accipi potest, quod in quolibet genere est unum primum, quod est mensura omnium, quae sunt in illo genere.

Ordin. ibi.